

misit. Abbas in *Summario*; Barbosa in *Collectan.* n. 1. et doctores communiter. Ratio est, tum quia juramentum est stricte interpretandum: unde qui juravit servare statuta jam edita, vi hujus juramenti nequit intelligi quod voluerit se obligare ad servanda ea quae imposterum erunt edenda.

61. *Etiamsi quis promittat, vi juramenti antea praestiti eadem servare.* — Atque istud ampliatur, etiamsi quis promittat, se velle vi juramenti antea praestiti servare illa statuta postmodum edita. Quia, nisi de novo juraverit, promissio illa retinet vim simplicis promissionis, ac proinde, licet quis transgredi non debeat, quod promissit; non tamen ad illud obligatur ex debito praestiti juramenti, adeo ut perjurus censi possit, si promissum non exequatur. Textus est in cit. penult. h. t. qui sic sonat: Clericus, qui juravit se statuta in ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum (non tamen jurando de novo, ut explicat Glossa ibid. *¶ Per idem.* et Abbas in *Summario*) statutum, quod postmodum subsecutum est fideliter observare: Licet transgredi non debeat, quod promissit (quia omne promissum cadit in debitum) non tenetur ad illius observantiam ex debito praestiti juramenti. » Accedit ratio: quia obligatio prioris juramenti non potest ultra fines sui objecti extendi persimilicem promissionem, et nisi de novo quis juraverit: atqui objectum prioris juramenti, fuerunt statuta jam tunc edita, quae clericus ille servare juraverat; ergo.

62. *Juramentum etiam absolute praestitum servandi statuta, non extenditur ad futura, nisi exprimat.* — Resp. II. Juramentum etiam absolute praestitum servandi statuta alicujus ecclesiae, seu communitatis, non extenditur ad futura, nisi expresse in aliqua parte juramenti fiat mentio de futuris. Ita Baldus cit. c. *Clericus.* seu penult. n. 2. et Barbosa ibid. n. 7. h. t. Angelus *¶ Juramentum.* 5. n. 35; Sanchez lib. VIII. in *Decalog.* cap. XIV. n. 1; Pirhio g. b. t. n. 105, pluresque alii ab his citati: contra Joan. Andream in d. c. *Clericus.* n. 1. et 2. et Abbatem ibid. n. 2. et quosdam alios, qui volunt juramentum simpliciter praestitum de servandis statutis, extendi etiam ad servanda imposterum edenda, saltem, si non multum sunt praedicia, prout limitat Abbas loc. cit.

63. *Et ratio hujus.* — Ratio conclusionis est, quae supra: quia videlicet juramentum est strictae interpretationis; ac proinde cen-

setur praestitum super observandis statutis tempore ipsius juramenti existentibus, non autem primum futuris, nisi expresse secus exprimat. Accedit quod futura sint incerta, variosque et difficiles quandoque exitus habere soleant: unde fatuum foret, illico talia statuta primum fienda, et adhuc ignota, se servaturum jurare. Ac proinde non est verisimile, quod intentio simpliciter jurantis observantiam statutorum talis Ecclesiae, vel communitatis, ad futura, et postea primum edenda sese extenderit; nisi forsitan id exprimat, prout solet exprimi in juramento fidelitatis.

64. *Limitatur istud, quando posterius statutum venit ad declarationem prioris duntaxat.* — Intellige tamen datam conclusionem cum Baldo, Sanchez et aliis, ubi supra, dummodo posterius illud statutum non veniat ad veteris declarationem duntaxat. Quia tunc reipsa non foret novum statutum, sed idem cum veteri; eo quod declaratio legis retrahatur ad tempus conditae legis, atque a principio jam infuerit ipsi legi, Auth. *De raptis mulieribus.* § fin. collat. 9. et notat Glossa c. *Sicut nobis.* *¶ Respondemus. de Verb. signif.* in 6.

65. *Solvuntur contraria. Hypotheca rerum suarum, etiam ad futuras res producitur.* — Objicies contra secundam conclusionem, Juramentum simpliciter, ac indeterminate factum servandi statuta, vi verborum extendit se etiam ad edenda, seu imposterum facienda; ergo. Antecedens probatur; tum quia locutio indefinita aequipollet universali, Glossa in proem. *Decretal.* *¶ In judiciis:* tum quia l. ult. c. *Queres pignor. oblig. poss.* si debitor « res suas hypotheca supponat, non adjecto, tam praesentes quam futuras; » nihilominus hypotheca « etiam ad futuras res producitur, » ut loquitur textus: idem ergo dicendum de juramento simpliciter facto servandi statuta. Tum tandem: quia in cit. c. *Clericus.* seu penult. h. t. expresse fit mentio de clerico, qui juravit servare « statuta in Ecclesia sua edita; » ergo secus videretur dicendum, si jurasset simpliciter servare statuta suae Ecclesiae. Haec sunt praecipua fundamenta doctorum contrariam sententiam tenentium. Resp. tamen neg. anteced.

66. *Indefinita locutio aequipollet universali, et quando?* — Ad primam ejus probationem dicitur, quod indefinita locutio aequipollet universali, quando subest eadem ratio omnium sub indefinita comprehensorum: alias

secus; prout latius fuit declaratum supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus,* § 16. n. 400. et seqq. Quod autem non sit eadem ratio statutorum jam editorum, et postea edendorum, patet ex dictis in conclusione.

67. *Disparitas inter hypothecam, et juramentum.* — Ad alteram probationem negatur consequentia, et paritas inter juramentum et hypothecam. Illud enim, quod dicitur de hypotheca seu pignore, est favorabile (pignus enim datur et gratia creditoris, ut ei fiat assecuratio rei creditae, et gratia debitoris, ut ei sub assecuratione pignoris facilius quidpiam mutuo concedatur) unde non mirum, quod extendatur ad futura. Secus dicendum de juramento, utpote quod est stricte interpretandum; atque, ut impraesentiarum extendatur, foret odiosum et periculosum, ut dictum. Ad tertium respondetur, conclusionem nostram non tam fundari in cit. c. *Clericus,* h. t. (revera enim istud parum probaret, ob rationem allegatam, quidquid nonnulli inde inferri velint) quam in aliis rationibus, de quibus in conclusione. (ADNOTATIO XII.)

68. *Juramentum a iudice delatum reo, et juramentum testium, qualiter sit interpretandum? Remissive.* — Posset hoc loco etiam quaeri de sensu, atque interpretatione juramenti, quod a iudice defertur reo ad aperendam veritatem, praesertim ubi is interrogat de occultis criminibus, aut ex praesumptione falsa. Verum de hoc satis patet ex dictis tit. XVIII. *de Confessis.* § 7. per totum. De juramento etiam testium abunde dictum fuit tit. XX. *De testibus et attestationibus.* § 14. per totum: unde hoc loco eadem repetere, supervacaneum foret.

## § III.

## DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

69. *Omne juramentum promissorium debite factum, parit obligationem observandi illud ex virtute religionis.* — Quaeritur I. Quae generatim sit obligatio juramenti promissorii? Resp. I. Certum est, quod omne juramentum promissorium debite factum circa materiam honestam, et cedentem ad honorem Dei, vel bonum tertii, pariat obligationem observandi illud ex virtute religionis. Ita communis, et patet ex c. *Si vero.* 8. h. t. ubi Pontifex respondet, « quod non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi sit tale

quod servatum vergat in interitum salutis aeternae. » Concordat c. *Cum contingat.* 28. eod. et c. *Quamvis pactum.* 2. *de Pactis.* in 6. cum similibus: ex quibus dicitur illa generalis regula: « Omne juramentum est servandum, si sine salutis dispendio servari potest; de quo plura inferius concl. seq. n. 73. 74. et 75. Accedit ratio, quia juramenta debite facta, simulque honesta, involvunt reverentiam divini numinis, cujus summam atque indefectibilem veritatem jurans profitetur, atque in testem vocat; ergo hoc ipso ex motivo religionis obligant ad sui observantiam, ne Dei veracissimi testimonium in confirmationem falsitatis, et mendacii adducatur, contra illud *Exod.* xx, 7, et lumine naturali notum: *Non assumes nomen Domini Dei in vanum.*

70. *Si desit intentio jurandi, peccat quis dupliciter; atque obligatur ad servandum illud tum ratione scandalii vitandi, tum ex justitia.* — Additur notanter, « juramentum promissorium debite factum, » etc. Nam, ut nunc taceantur alia, de quibus in progressu, si desit intentio jurandi, conveniunt doctores, juramentum in foro conscientiae non obligare ex virtute religionis, ac vi ipsius juramenti (revera enim tale non fuit, ex defectu intentionis) quamvis non solum talis graviter, imo dupliciter peccet, dum et Dei nomen assumit in vanum, et proximum decipit ita ei dolose jurando, can. *Quaecumque arte.* 22. q. 3. Sed etiam obligetur ad servandum juramentum illud; tum ratione scandalii exterioris vitandi, quod alias ex transgressione illius subsequeretur; tum ex justitia, ne ex suo doloso juramento grave damnum, atque injustitia proximo inferatur: alioquin vero tenebitur ad resarciendum omne damnum, suo doloso juramento causatum. Atque in hoc sensu procedit illud, quod cit. can. *Quaecumque arte.* 22. quaest. 3. ex sancto Isidoro refertur illis verbis. « Quaecumque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit? » Quia nimirum dolose jurans proximo, tenetur juxta intentionem recipientis servare suum juramentum tum ratione scandalii praevitandi, tum ex virtute justitiae, ne grave damnum proximo inferat; licet non ex virtute religionis, saltem spectato foro conscientiae. Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. x. n. 4. et 13 et 14. cum aliis; et concordant dicta superius n. 48. et 49.

71. *In foro externo cogitur quis illud obser-*

vare etiam ex virtute religionis; alias reputatur perjurus. Ecclesia non judicat de occultis. — Notanter tamen hic dicitur, «saltem spectato foro conscientiae.» Siquidem in foro externo cogere talis servare juramentum juxta verum sensum verborum, atque intentionem accipientis: et si dolose jurans illud non servare, censeretur agere non solum contra justitiam ratione damni injuste dati, sed etiam contra virtutem religionis, sicque reputaretur perjurus. Nam Ecclesia non judicat de occultis, can. *Erubescant*, dist. 32. juncta Glossa *¶ Secretorum*; ac proinde censeret, juramentum fuisse veraciter, et debita cum intentione prolaturum: siquidem «humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur,» ut loquitur S. Gregorius, relatus can. *Humanæ aures*, 22. q. 5.

72. *Allegans propriam turpitudinem, non auditur; et quomodo?* — Neque enim prodesset, si fide jurans postea ultro confiteretur defectum suæ internæ intentionis, quem tempore præstiti exterius juramenti interius habuit. Nam allegans propriam turpitudinem, non auditur: saltem non ad suum commodum, bene tamen ad suum præjudicium, l. *Transactione*, juncta Glossa et Bartolo ibid. c. *de Transactionib.*

73. *Juramentum de re inhonesta, seu illicita, non obligat. Juramentum non est vinculum iniquitatis.* — Resp. II. Juramentum de re inhonesta, turpi seu illicita præstitum, nullam inducit obligationem. Ita communis omnium theologorum, tum canonistarum, atque juristarum. Siquidem «in malis promissis fidem non expedit observari,» juxta reg. 69. jur. in 6. juncto cap. ult. *de Pactis*. Simulque juramentum non fuit institutum, ut esset vinculum iniquitatis, c. *Quanto*, 18. h. t. et can. *Inter cætera*, 22. q. 4, cum similibus. Unde reg. 58. jur. in 6. indistincte loquitur: «Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.» Hinc can. *Unusquisque*, 22. q. 4. gravissime cum sancto Ambrosio lib. III. *de Officiis*, cap. XII. perstringitur factum Herodis regis, «qui saltatrici præmium turpiter promissit, crudeliter solvit. Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur: crudele, quod mors prophetæ pro jurisjurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset perjurium juramento, si tamen perjurium possit dici, quod ebrius inter vina juraverat: quod ejuratus inter saltantium choros

promiserat. Infertur disco prophetæ caput, et hoc æstimatum est fidei esse, quod amenitiæ fuit.» Hæc ibi. Quibus plura similia habentur can. *Si publicis*, et can. *Est etiam*, ac seqq. ead. caus. 22. q. 4.

74. *Juramentum de re inhonesta, seu illicita censetur illud, quod servari non potest absque peccato mortali, vel veniali.* — Porro juramentum de re inhonesta, turpi seu illicita, non solum censetur illud, quod absque peccato mortali servari non potest, sicque verissime vergit «in interitum salutis æternæ,» ut loquitur textus c. *Si vero*, 8. h. t. Sed etiam, quod servari nequit absque peccato veniali: quia etiam istud, utpote continens offensam boni infiniti, «vergit in dispendium salutis æternæ;» imo et successive disponit ad lapsum in graviora, juxta illud *Ecclesiastici*, XIX, 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Proinde juramentum de faciendo peccato veniali, veluti «vergens in æternæ salutis dispendium,» non obligat, c. *Cum contingat*, 28. h. t. et c. *Quamvis pactum. de Pactis* in 6. ac notat Glossa in can. *Si aliquid*, 22. q. 4. *¶ Pejorem*: ea addita ratione, quia jurans se peccaturum venialiter, si tale juramentum adimpleret, adjiceret peccatum peccato. Joan. Andreas c. *Quamvis*, n. 3. *de Pactis* in 6; Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. IV. n. 29; Fachineus lib. III. *Controvers. jur.* cap. LXXII. vers. *Respondeo*, et alii.

75. *Etiam juramentum temerarium, seu quod observatum vergeret in pejorem partem, observari non debet. Idque declaratur exemplo David regis.* — Ampliatur hæc conclusio ad juramentum temerarium, seu incautius factum, videlicet observatum vergeret in pejorem partem, sicque ad sui observantiam non obligat: ut can. *Si aliquid*, 22. q. 4. ubi istud declaratur exemplo David regis, qui cum per Dominum jurasset occidere Nabal, virum stultum et impium, atque omnia ad ipsum pertinentia demoliri, ob injuriam sibi, servisque suis illatam. I *Reg.* XXV per totum, nihilominus ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis remisit minas, revocavit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit, cit. can. *Si aliquid*. Unde sanctus Augustinus, relatus can. *Juravit*, ea. caus. 22. q. 4. inquit: «Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate.» Atque conformiter dictis possunt innumeri casus, tam pro foro conscientiae, quam externo resolvi.

76. *Juramentum soli DEO factum de opere*

minus perfecto, aut prorsus indifferente, non obligat. — Quæritur II. Quando obliget juramentum Deo, vel homini factum? Resp. I. Juramentum soli Deo factum de opere minus perfecto, et cujus oppositum est me. us, sicut et juramentum Deo factum de re prorsus indifferente, non obligat. Ita sanctus Thomas 2. 2. q. 89, art. 7; Sanchez cit. lib. III. in *Decalog.* cap. IX. n. 11; Layman lib. IV *Theol. moral.* tract. III. cap. VI. n. 5. et alii communiter. Idque desumitur ex c. *Pervenit*, 3. h. t. ubi dicitur: «Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.» Ubi Abbas n. 2. per ly «promissum,» intelligit promissum juratum; ut sensus sit, «quod non dicitur transgredi juramentum, qui in melius illud commutat:» alias enim textus ille non faceret ad hunc titulum. Accedit ratio, quia juramentum soli Deo factum, induit naturam voti: atqui votum de re impeditiva majoris boni, non obligat, sed licite eligitur illud majus bonum, c. *Scripturæ*, 4. *de Voto*; ergo. Idemque dicendum, si juretur res prorsus indifferens, ita ut hic et nunc, pensatis omnibus circumstantiis, talis remaneat: quia Deus juramentum de præstando aliquo vano et otioso, ut est res indifferens, non acceptat; neque ad illud obligare intendit, cum nihil honoris inde sibi accrescat.

77. *Nihilominus ut juramentum homini factum obliget, sufficit, quod possit servari absque dispendio salutis æternæ. Differentia inter juramentum Deo, et homini factum.* — Resp. II. Nihilominus ad hoc, ut juramentum promissorium homini factum obliget, sufficit, quod res promissa possit servari absque dispendio salutis æternæ; hoc est, sine peccato mortali, vel veniali. Ita Abbas c. *Cum contingat*, n. 6 et 7, h. t.; Sanchez loc. cit., n. 19; Layman n. 6; Angelus *¶ Juramentum*, n. 5. et alii. Idque desumitur ex c. *Cum contingat*, 28. juncta Glossa *¶ Debent*, et doctoribus ibid. h. t. et c. *Quamvis pactum. 2. de Pactis*, in 6. ubi tanquam regula generalis statuitur, quod juramentum homini præstitum necessario sit servandum, quando potest servari absque dispendio salutis æternæ (hoc est, sine peccato mortali, vel veniali) simulque non redonat in alterius detrimentum. Accedit ratio, quia juramentum promissorium de re non illicita eatenus obligat ad sui impletionem, quatenus is, cui est præstitum, illud acceptat, vultque impleri. Atqui Deus juramentum non acceptat, quando est impediti-

vum majoris boni, vel factum de re penitus indifferente; bene tamen illud acceptare solet homo, dummodo cedat in suam utilitatem, simulque absque peccato fieri possit: nam in juramento homini facto spectatur, quid illi sit gratius; in juramento autem facto Deo, quid melius; ergo. Atque per hoc patet disparitas inter hanc, et priorem conclusionem, atque inter juramentum Deo, et homini factum.

78. *Debitorum, qui juraverunt solvere usuras, tenentur ad earum solutionem; quamvis solutas repetere possint.* — Hinc, licet debitores, qui se obligaverunt ad solvendas usuras, cogi non debeant ad earum solutionem; eo quod nulla fuerit ipsarum obligatio, tum de jure divino, tum canonico, Clem. un. *de Usuris*, cum similibus. Si tamen de ipsarum usurarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum, dictasque usuras solvere; quamvis solutas judicialiter repetere possint. Textus est in c. *Debitorum*, 6. h. t. ubi Glossa, et doctores communiter. Ratio est, quia solvere usuras, peccatum non est, sed licite potest quis alteri dare suum; ergo cum tale juramentum possit servari absque dispendio salutis æternæ, servandum est, haud obstante, quod alter recipiendo usuras peccet: nam sua culpa id accidit, cum posset, ac deberet gratis mutuare, juxta illud Dominicus *Lucæ*, VI, 36. *Benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes.*

79. *Pactum legis commissoriæ in pignorbis, si accesserit juramentum, debet a debitore servari.* — Similiter, quamvis pactum legis commissoriæ in pignorbis non valeat, et veluti usurarium omnimodis reprobetur, l. ult. c. *de Pactis pignor.* et alibi: si tamen accesserit juramentum, quo debitor creditori juravit, ut si intra certum tempus debitum non solverit, neque pignus redemerit, ipsum super pignore nolit amplius molestare, tenetur debitor stare suo juramento; arg. c. *Significante*, juncta Glossa *¶ Si est ita*, et doctoribus *de Pignorbis*. Ratio est, quia tale juramentum de non amplius molestando creditorem, potest licite, et absque dispendio salutis æternæ per debitorem observari; quamvis creditor non possit licite retinere excessum pignoris, veluti usurarium. Huc etiam faciunt alii casus, de quibus infra n. 94. et seqq.

80. *Juramentum factum homini, non potest eo non consentiente commutari in opus melius: bene tamen juramentum factum Deo.* — Et con-

formiter datæ conclusioni infertur, quod juramentum factum homini ita obliget, ut in aliud melius opus commutari non possit, nisi is, cui juratum est, consentiat, seu juramentum illud remittat: ut puta: Jurasti Caio dare viginti florenos, si postea velis Deo offerre calicem valentem quinquaginta, aut tantumdem dare pauperibus, non potes Caio negare suos viginti florenos, hosque applicare pro conficiendo calice. aut dare pauperibus, quamvis istud de se foret melius, Deoque gratius. Econtra, si jurasses in Deum cultum expendere viginti florenos, propria auctoritate posses istos applicare pro conficiendo sacro calice valente quinquaginta, aut tantumdem in pauperes expendere: nam istud de se est melius, Deoque acceptius. Disparitas est, quia in promissione facta homini, aut juramento in ejus favorem præstito spectatur, quid illi gratius sit; in promissione autem facta Deo, quid melius. Layman cit. cap. vi. n. 6. et alii, atque jam dixi in *Theol. moral. tract. VI, dist. 2, n. 26.*

81. *Juramentum generali servandi statuta, capitulationes, vel consuetudines alicujus Ecclesie, seu communitatis, obligat solum ad servanda licita, etc.* — Quæritur III. Utrum, et qualiter obliget juramentum servandi statuta, capitulationes, aut consuetudines alicujus Ecclesie, vel communitatis, quando in eis aliqua continentur, quæ sunt illicita, vel vergunt in præjudicium Ecclesie seu dignitatis, ad quam jurans assumitur? Resp. I. Juramentum generale servandi statuta, et capitulationes, vel consuetudines alicujus Ecclesie, seu communitatis, obligat solum ad servanda licita, possibilia, et libertati Ecclesie non præjudicialia. Ita communis; estque expresse decisum cap. I, h. t., in 6. declarando quod juramenta illa, quæ a potestatibus, rectoribus, et officialibus laicis, in principio officii sui præstari solent, et nonnunquam quædam illicita, atque immunitati ecclesie præjudicialia continent, quoad sola licita observari debeant: cum quoad alia sine divinæ majestatis offensa servari nequeant, et juramentum non sit vinculum iniquitatis. Quia vero « utile non debet per inutile vitari, » juxta reg. 37. jur. in 6. hinc juramenta ejusmodi obligant saltem quoad puncta licita.

82. *Juramentum contra utilitatem ecclesiasticam, ab episcopo ante suam electionem præstitum, non tenet.* — Concordat c. *Sicut nostris.* 27, h. t., ubi juramentum contra utilitatem

ecclesiasticam, ab episcopo ante suam electionem præstitum, non tenet. Nam cum canonici vacante Ecclesia Tudertina sub juramento statuissent, ut quicumque ex ipsis fieret episcopus, servaret quædam « in damnum juris episcopalis cedentia; » et postmodum episcopus electus, qui et ipse capitula illa adhuc canonicus juraverat, Papam consulisset, num tal. juramento constringeretur, respondit Papa ejusmodi juramentum non tenere, et omnia in statum debitum reducenda esse: « Quia (inquit) non juramenta, sed perjurya potius dicenda sunt, quæ contra utilitatem ecclesiasticam attentantur. »

83. *Neque obligat juramentum regis in præjudicium regni sui.* — Simile quid habetur decisum in c. *Intellecto.* 23. h. t. de rege, qui juraverat non revocare quasdam alienationes, quas fecerat in præjudicium regni sui. Nam hoc intellectu respondet pontifex, quod, cum rex « teneatur, et in sua coronatione juraverit, jura regni sui, et honorem coronæ illibata servare, illicitum fuerit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum; et propterea penitus non servandum. » Atque idem a pari dicendum est de similibus.

84. *Juramentum servandi statuta, capitulationes, etc., quando in ipsis continentur quædam illicita, damnosa, vel libertati ecclesiasticæ obviantia, est illicitum, ac nullatenus servandum.* — Resp. II. Juramentum servandi statuta, capitulationes, vel consuetudines locorum, quando in ipsis continentur quædam illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati ecclesiasticæ obviantia, est illicitum, ac nullatenus præstandum. Textus est in cit. cap. I, h. t. in 6. continenti constitutionem Innocentii III. quæ postea fuit confirmata per Gregorium XIII. in sua constitutione 93. *Inter Apostolicas.* et loquendo de illicitis capitulationibus, quas occurrente vacatione ecclesiarum, seu monasteriorum, interdum fieri contingit) per Pium V in sua constitutione 64. « Durum nimis; » quæ una eum priori refertur tom. II. *Bullarii Romani*: ubi non solum juramenta hujusmodi penitus reprobandantur, non obstante quacunque consuetudine, quæ potius corruptela est censenda; sed insuper exigentes illa censuris ecclesiasticis, atque excommunicationi summo pontifici reservatæ subiciuntur; prout latius in eisdem constitutionibus apostolicis continetur. (ADNOTATIO XIII.)

85. *Constitutio nova Innocenti XII, de capi-*

*tulationibus, quas occurrente vacatione ecclesiarum, vel monasteriorum fieri contingit.* — Quinimo novissimis temporibus Innocentius Papa XII, in sua constitutione, quæ incipit, *Ecclesie catholice*, die 22 septembris, 1695. emanata, ad tollendum abusum illicitarum capitulationum, quas occurrente vacatione ecclesiarum seu monasteriorum, ab iis ad quos electio personarum illis præficiendarum spectat, interdum fieri contingit: non solum innovavit memoratas constitutiones Nicolai III. Pii V. et Gregorii XIII. cum additione pœnarum, et prohibitione dictarum illicitarum capitulationum sub eisdem pœnis, ac censuris etiam ipso facto incurrendis, et summo pontifici reservatis: sed etiam præcepit, capitulationes quascunque, et statuta, « quæ electione, seu postulatione hujusmodi secuta quomodolibet iniri, condi, seu fieri contigerit, ad nos, seu eundem Romanum pontificem pro tempore existentem, quamprimum deferri, atque ita nostro, et Sedis apostolicæ judicio subijci præcipimus; suspensa interim eorum omnium, et singulorum executione, donec, et quousque ab eadem Sede, sine cujus auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, apostolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperit. » Hactenus Pontifex, subjungens postea amplissimas clausulas derogatorias quorumcumque contrariorum, atque decernens, litteras hujusmodi Romæ, ut moris est, « publicatas, et affixas, omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si univique eorum nominatim, ac personaliter intimatæ fuissent, » etc., prout loquitur eadem constitutio.

86. *Jurans scienter servare statuta, capitulationes, vel pacta illicita, censetur largo modo perjurus.* — Resp. III. Insuper, qui scienter jurat statuta, capitulationes, consuetudines, vel alia pacta illicita servare, censetur largo modo perjurus. Ita Glossa cap. I. §. *Declaramus.* et ibi Francus n. 4. et 7. h. t. in 6. Abbas c. *Sicut nostris.* n. 1. h. t. ubi ex verbis illius capituli asserentis, quod « non juramenta, sed perjurya potius sunt dicenda, quæ contra utilitatem ecclesiasticam attentantur, » notandum inquit, quod illicitum juramentum largo modo potest dici « perjurium, » id est, indiscretum et illicitum juramentum: non enim capitur hic perjurium pro transgressione juramenti liciti. Pirking h. t. n. 104. et alii. Idque desumitur ex cit. c. *Sicut nostris.* 27. h. t. ubi juramenta illicita dicun-

tur « perjuryas potius: » sicque ea præstans, « quasi perjurus. » Concordat can. *Animadvertendum.* 22. q. 2. ubi jusjurandum, quod non habet tres comites, veritatem, judicium atque justitiam, « nequaquam juramentum, sed perjurium » appellatur. Quod intellige largo modo: nam « Perjurium » proprie dicitur juramentum, cui deest veritas: sive, ut inquit sanctus Thomas 2. 2, q. 98, art. 1. Perjurium est mendacium juramento firmatum. Atque idcirco proprie ille dicitur perjurus, qui aliud jurat, quam habet in mente; vel qui non adimplet id quod sub juramento promisit, cum etiam hic deficiat veritas, nempe veritas facti.

87. *Et quid, si quis generaliter jurasset talia servare, ignorans ea continere quid illicitum?* — Additur tamen in data conclusione, « qui scienter, » etc. Nam si quis generaliter jurasset servare statuta, et consuetudines alicujus communitatis, atque ita in mente habuisset, ignorans ea esse illicita, vel quid illicitum continere, tunc non peccavit jurando, ratione suæ bonæ fidei; sicque non censetur quasi perjurus: nihilominus cognita rei veritate prohibetur servare statuta illicita, non obstante suo juramento generaliter, ac bona fide facto, etsi obligetur ad servanda licita. Textus, et Glossa in cit. c. I, h. t., in 6. ubi istud exemplificatur in statutis locorum, quæ alicubi clausa porrigi consueverant promovendis ad potestarias, rectorias, et officia, ut prius se ea servaturos jurarent. Concordant dicta paulo superius n. 81.

88. *Juramentum factum contra leges civiles, quæ obligant ad culpam non tenet.* — Quæritur IV. An juramentum contra leges civiles, earumque prohibitionem factum obliget? Resp. I. Quoties lex civilis obligat ad culpam, tunc juramentum de præstando actu per ipsam prohibito non obligat, estque nullius roboris. Ita communis; et patet ex dictis n. 73. et 74. Siquidem juramentum non est vinculum iniquitatis: unde nec est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, juxta reg. 58. jur. in 6. cum concordantiis.

89. *Quando lex civilis censeatur obligare ad culpam, etiam pro foro conscientie.* — Cæterum, quandonam lex civilis obliget ad culpam, etiam pro foro conscientie (posse enim sic obligare, fatentur omnes doctores, conformiter quarto præcepto *Decalogi*) nequit una regula generali determinari, cum dentur leges etiam mere pœnales, aliquæ autem duntaxat favorem contineant, quo nemo co-